

mari nostram sententiam ex determinatione Pii V et Gregorii XIII, damnantium propositiones Michaelis Baii, inter quas trigesima quarta propositio ita habet: Distinctio duplicis amoris naturalis quo Deus amatur ut auctor naturæ, et gratuiti quo Deus amatur ut beator, vana est, et commentitia, ad illudendum sacris litteris, et pluribus veterum testimoniis excogitata. Sic damnarunt pontifices. Respondet autem Vazquez, non damnasse illam propositionem quantum ad substantiam, sed quantum ad censuram, quia ille auctor nimis rigide censebat de illa distinctione duplicis amoris. Sed non valet solutio, nam præterquam quod pontifex absolute loquitur in damnatione illarum propositionum, et non distinguit de illarum censura, vel de illarum substantia, atque adeo non licet nobis ejus mentem restringere sine gravissimo fundamento: præter hoc, inquam, in præfata propositione nihil censuræ posuit ille auctor, nam dicere, quod aliqua propositio: Est vana, et commentitia, non est censura, sed est idem ac dicere, quod non est vera, et quod caret fundamento, vel ipso patre Vazquez teste, qui frequentissime impugnando sententias probabiliter admissas, solet dicere: Hoc est commentitium: hoc est inane, aut vanum, etc. ergo in illis verbis nulla censura importatur. Vel si ita est, ergo saltem debet admittere pater Vazquez contradictorium illius propositionis damnatæ, et dicere: Distinctio illa duplicis amoris, neque est vana, neque commentitia, neque ad illudendum sacris litteris excogitata. Et si hoc admittit, ut omnino tenetur; ergo secundum Ecclesiæ judicium illa distinctio non caret fundamento, neque contrariatur veritati, quæ est in sacris litteris, et in patribus. Habet ergo fundamentum,

et probabilitatem. Cur ergo rejicit Vazquez, quod sic commendant pontifices?

XIV. Quoad secundam partem conclusionis, quod scilicet ista amicitia naturalis sit imperfecta, intra genus tamen amicitiae, sumitur ex D. Thoma et octavo ethicorum, lect. XII, ubi ex philosopho docet dari amicitiam inter homines et deos, tamquam ad bonum excellens, ubi philosophus loquitur de amicitia naturali, quia supernaturalem non agnovit. Et in decimo ethicorum, lect. XIII, docet ex eodem philosopho quod: « Sapiens est amicissimus Deo, quia rationabile est, inquit, ut Deus maxime benefaciat his qui amant intellectum, et honorant ipsum bonum intellectus omnibus aliis præferentes. » Itaque substantia amicitiae salvatur in hoc quod sit amor benevolentiae cum relatione mutua, et communicatione liberali. Erit autem imperfecta amicitia si non perveniat ad perfectam communicationem, qualis est in communicatione familiari, et secretorum manifestatione: et similiter si non habeat tantam efficaciam, quod possit omnem inimicitiam expellere, si incuratur, quia habere activitatem ad agendum, et resistendum contrariis est signum status perfecti. Igitur in pura natura potest dari mutua benevolentia inter Deum et homines, quia ex parte hominis potest velle aliqua ipsi Deo, non quidem benefaciendo, sed debetum exhibendo, quia cum homo sit amicus inferior, neque etiam in ordine supernaturali potest exhibere Deo bona gratuita, sed debita: *Quis enim prior dedit illi, et retribuetur ei?* ait Apostolus. Ex parte autem Dei potest dari amor benevolentiae in illo statu puræ naturæ exhibendo aliqua beneficia liberalia citra elevationem naturæ ad ordinem supernaturalem: licet enim illa beneficia non sint extra connaturalitatem to-

tius naturæ, sunt autem indebita huic, aut illi individuo, quia possent intra limites naturæ non dari illi, sicut verbi gratia perfecta sanitas, divitiæ, pluviae, evitatio periculorum, etc. Hæc enim sunt fortuita respectu individuum, et consequenter si dantur a Deo liberaliter dantur.

XV. Adde non repugnare illi statui, quod detur aliquod beneficium a Deo naturale quoad substantiam, et supernaturale quoad modum, sicut liberatio ab infirmitate mortali, restitutio visus, infusio scientiæ per accidens, et revelatio aliquorum effectuum naturalium: hæc enim omnia licet ex parte modi naturalia non sint, non tamen elevant hominem ad ordinem gratiæ, sed intra puram naturam manent. Et ex hoc ostenditur illam amicitiam esse imperfectam, quia non pervenit ad hoc, ut Deus communicet homini de suis bonis propriis, quæ sunt bona divina, sed de bonis extrinsecis, quæ quantumcumque sint magna et indebita, comparatione divinorum nihil sunt. Et similiter hæc amicitia naturalis non sufficit reparare inimicitiam peccati, quia ex vi illius non potest tolli ratio offensæ, quantumcumque homo iterum se Deo subjiciat per istum amorem naturalem, quia remissio offensæ, vel requirit gratiam remittentis, vel plenam satisfactionem, et satisfactio plena pertinet ad ordinem hypostaticum; gratia autem remissionis ad ordinem gratiæ supernaturalis. De quo videatur D. Thomas 1-2, quæst. CIX, art. VII, et III parte, quæst. II, art. II.

## SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XVI. Ad primum fundamentum pater Vazquez respondetur solutione ibi data, quod benevolentia natura-

lis, et supernaturalis erga Deum distinguuntur penes diversum modum bonitatis, non in essendo, sed in communicando, quatenus diversa communicatio est ratio, vel conditio fundandi diversam manifestationem bonitatis, et diversum amorem benevolentiae. Et sic D. Thomas 1 p. quæst. LX, art. IV, et 1-2, quæst. CIX, art. III, distinguit istum duplicem amorem ex parte diversæ communicationis divinæ; et generaliter philosophus in octavo ethicorum distinguit amicitias penes diversas communicationes, ubi videri potest D. Thomas lect. XII; sicut est diversa amicitia consanguinitatis, vel amicitia civilis, quæ est inter concives, et amicitia commilitantium, vel studentium, id est, convenientium in eadem militia, vel studio, ut ibi philosophus numerat. Unde non repugnat cum eadem persona contrahere diversas amicitias, quæ respiciunt eandem bonitatem personæ sub diverso respectu se communicandi, sicut cum eodem potest haberi amicitia consanguinitatis, et amicitia conjugii. Ita cum Deo alia est amicitia in quantum creator, et universale bonum universi, cui solum communicamus in bonis externis; alia in quantum beator, cui debemus communicare in bonis propriis videndo, et fruendo illius substantia, quæ est sicut amicitia inter sponsum et sponsam, et inter patrem et filium: huic enim amicitiae assimilatur Deus in sacra Scriptura. Et ista differentia est intrinseca et formalis, omittendo alias, quæ ab aliis assignantur minus bene. Nam etsi communicatio non sit ipsa ratio formalis amicitiae, bonitas tamen, ut est fundamentum communicationis, ita pertinet ad intrinsecam rationem amicitiae, quod variato tali fundamento, variatur amicitia, et inde oritur diversa apprehensio bonitatis, quæ tamquam

conditio diversificare posset amorem, quando supponit communicationem diversi ordinis, non ejusdem, sicut invenitur fide, et visione clara. Unde inanis est impugnatio Vazquez, quod communicatio respicit bonitatem relate ad nos, et sic erit amor concupiscentiæ, vel gratitudinis, non enim hic sumitur communicatio tamquam res volita ipsi amanti, sed ut conditio, vel ratio fundans amorem benevolentiae mutuae ipsi amato.

XVII. Ad secundum respondetur, quod si quid probaret, probaret naturam post peccatum remansisse cum eisdem viribus, quibus quando erat integra, et sic peccatum nullum vulnus inferret naturæ. Dicimus ergo in statu naturæ lapsæ illum actum diligendi Deum super omnia esse excedentem et improporcionatum libero arbitrio, non quantum ad indifferentiam libertati, sed quantum ad virtutem operandi, quia ut definit Concilium Tridentinum sessione VI, capite primo, liberum arbitrium per peccatum minime extinetum est viribus, licet attenuatum, et inclinatum. Quæ vires consistebant in illa perfecta subordinatione, qua inferiores vires sibi subiciebat: qua subiectione amissa non potest voluntas sola facere tantum opus, quod est diligere Deum super omnia efficaciter, et absolute, quia hoc virtualiter implet totam legem, dicente Apostolo: *Plenitudo legis est dilectio*. Cum autem diligere Deum super omnia sit efficaciter subicere Deo omnes actus et potentias nostras, non potest in illo statu liberum arbitrium per se solum subicere omnes potentias, quas sibi subjectas non habet sed rebelles, et ideo indiget gratia sanante, et juvante, atque adeo non solum in facultate naturali, sed etiam in libera verissimum est, quod non potest facultas infirma tam excellens opus

ut sana. Nec ratio libertatis ut sic dicit virtutem, et potestatem continendi alias potentias; hoc enim faciebat donum justitiæ originalis, sed solum dicit indifferentiam potentiae respectu objecti, quæ quidem indifferentia, et libertas a coactione illæsa mansit post peccatum: sed virtus in continendo inferiores vires, et firmitate, ac rectitudine judicandi attenuata est. Et licet fomes maneat etiam post gratiam, tamen fortificatur virtus voluntatis contra fomitem, et habet auxilia superioris ordinis ad resistendum, et vincendum illum, quod non currit in statu peccati sine gratia.

XVIII. Ad tertium respondetur illam dilectionem naturalem Dei super omnia non pugnare cum statu peccati perfecte, et adæquate, et quoad effectus privativos peccati, sed solum inadæquate, et ex parte, scilicet quantum ad actualem conversionem et voluntatem peccandi: Effectus autem privativi, sicut offensa, et injuria Dei, reatus poenæ æternæ, privatio gratiæ, seu indignitas ad illam, et ad omnia beneficia Dei gratuita, hæc non potest expellere dilectio illa naturalis, nec ultimo disponere ad justificationem. Sicut etiam attritio extra sacramentum avertit hominem a voluntate peccandi, nec tamen justificat: sic dilectio illa deponit voluntatem peccandi, et convertit actualiter ad Deum voluntatem, non tamen tollit effectus illos privativos, qui solum per gratiam Dei remittentem evacuari possunt. Nec ideo manet ille homo semijustificatus, sed simpliciter peccator privative, et quantum ad offensam et reatum, licet non habeat amplius voluntatem peccandi, sicut qui regem offendit, licet mutet voluntatem, nolique amplius offendere, tamen reatus, et injuria non remittitur nisi gratia regis accedat. Tamen adverte, quod in

tali statu illa dilectio naturalis quantumcumque efficax non esset amicitia, sed benevolentia, quia esset voluntas hominis indigni non redamari a Deo. Et ideo illo reatu peccati stante, non esset actus amicitiae, sed benevolentiae super omnia.

XIX. Ad eaque objiciuntur contra secundam partem conclusionis, respondetur, in pura natura posse esse amicabilem, et gratuitam communicationem Dei ad hominem, non quidem in bonis propriis, et divini ordinis, sed in bonis naturalibus fortuitis, et contingentibus: quæ etiam si sint naturalis ordinis, non tamen sunt debita omni individuo, sed contingentia. Et quando dicit D. Thomas, quod: « Homo secundum sensibilem, et corporalem naturam non habet conversationem cum Deo, et Angelis, » loquitur de conversatione exteriori, quæ fit modo corpore inter homines; sic enim non est cum Deo; sed secundum spiritualem mentem, ut ibi dicit. Et quando additur, quod dilectio illa naturalis est communis omnibus in illo statu, non tamen beneficia Dei gratuita, respondetur quod omnibus habentibus illam dilectionem aliquod beneficium Deus donaret, si quidem præmiaret illum actum proportionate ad talem statum. Denique ad illam causalem ex verbis Christi Domini: *Quia quæcumque audivi a Patre meo, etc.* respondetur, quod est causalis amicitiae perfectæ communicantis secreta, et bona propria, non imperfectæ, quæ salvatur in communicatione honorum exteriorum, quæ sunt indebita, quia contingentia, non quia supernaturalia. Reliqua autem, quæ ibi afferuntur procedunt de amicitia perfecta, et secundum statum, non de communiter dicta. Et patres similiter loquuntur communiter de illa perfecta, quia

pro hoc statu una amicitia non separatur ab alia.

## ARTICULUS III.

*Utrum charitas sit una secundum speciem atomam?*

I. Quatuor sunt, quæ pugnare videntur contra unitatem atomam charitatis. Primo, ex parte ipsius objecti, quod est Deus, quia possunt diversa attributa amari, præscindendo unum ab alio. Sufficit autem ista distinctio, præcissiva attributorum ad distinguendas virtutes; ergo et amores. Nam per religionem attingitur divina majestas ut observabilis per cultum; a timore divina eminentia ut formidabilis; a spe divina omnipotentia ut auxilians; ergo et amor attingens unum attributum, vel personam, et non aliam distinguere potest. Secundo, ex parte regulationis distingui potest charitas viæ et patriæ, quia una regulatur a visione clara, altera a fide; istæ autem regulationes sunt specie diversæ; ergo et amores regulati. Tertio, ex parte personarum quæ amantur, videntur Dei, et proximi charitas differre, et est argumentum difficile quod sæpe proponit D. Thomas. Nam honor, qui datur Deo, et qui datur proximo, fundat diversas virtutes patriæ, et duliæ; ergo diversus amor diversas charitates: et licet proximus ametur propter Deum, etiam sancti honorantur propter Deum, cujus servi sunt: et tamen quia habent diversas excellentias fundant diversas virtutes; ergo quia habent diversas bonitates, fundabunt diversas dilectiones.

II. Et urgetur amplius, quia amicitia variatur secundum diversas communicationes; non repugnat autem inter ipsos homines dari communicationem supernaturalem res-